uifio fit. Nō enī loquitur ppheta in extasi: ut montanus & pricilla maximillaq; delirāt, sed quod pphetat liber ē uifionis intelligētis uniuersa q̄ loquit & pondus hostiū faciētis suo pplo uifionē. De cōsumariōe itaq; mūdi secūdū anagogenā cōsolationē sāctorū pphetia textitur: ut quecūq; in mūdo uidēt q̄si preteruntia & caduca contēnāt: & pparēt se ad iudicii diē. Vbi ultor aduersū uires assyriorū affuturus ē dñs.

Incipit prologus in sophoniā prophetā.

V Radūt hebrei: cuiusq; pphete pater aut au⁹ ponatur ī titulo ipos quoq; pphetas fuisse.

Vnde & amos unū de duodecim pphetis q̄ dixit: nō sum ppheta nec filius pphete: sed pastor caprarū uellicās, sycomoros: patris nomē in titulo non habere. Hoc si uerū est: sophonias ppheta: qui nomine ut ita dicā: pphetico & gloriosa maiorū suorum stirpe generatus est. Habuit enim patrē chusi auum godoliā: proauum amasiā: attauū ezechiā & talē quadrigā ipē uelut extremus auriga cōpleuit. Nomē sophonicē alii speculā: alii archanū dñi trāstulerunt. Siue igit̄ specula, siue absconditū dñi interpret̄ utrūq; pphē conuenit. Dicitutenī ad ezechiē. Filii hoīs: speculatorē te posui domui israel. Iste ergo propheta qui erat ī specula & in sublimib⁹ cōstitut⁹: & nouerat misteria dñi: filius erat chusi: qui interpretat̄ humilitas. Habebat quoq; auum godoliā qui dicit̄ magnitudo dñi: & proauū amasiā qui & ipē uertitur ī

sermonē dñi: attauū ezechia qui sonat fortitudo dñi
 De fortitudine itaq; dñi nat⁹ est sermo dñi: & de ser
 mone dñi nata est magnitudo dñi: & de magnitudi
 ne dñi nata est humilitas: ut cū peruenerit aliquis ad
 perfectū dicat: q̄a nō sū dignus uocari apostolus. Et
 illud in psalmis. Dñe nō exaltatū cor meū: neq; elati
 sūt oculi mei. Ioziā regem iudei cuius temporibus
 sophonias prophetaſse inuenit: deo pre omibus regi
 bus iude placuisse historia quarti libri regū & secun
 di paralipomenō demonstrat. Ioziās simulacra q̄ pa
 ter suus ammon uel auus manasses in tēplo dei collo
 cauerat deiecta cōminuisse mōstratur. In quibus eti
 am serpentem ereum a moyse factum eui errori idue
 tus populus superstitione idolorum detentus admi
 serat idem custodisse pascha: & intermissis tēporib⁹
 multis solus celebraſse monſtraſt. Ideo de⁹ per p̄phe
 tam temporib⁹ memorati regis q̄ prouētura erāt of
 tendens gentib⁹ quidē lectione cōprehensis affutu
 rum iudiciū. Populo uero israel salutē: & ciuitati hi
 erusalem restorationem tunc temporis tribuēdam
 textu lectionis denunciauit.

Incipit prologus in aggeum p̄phetam.

S Jeremias propheta ob causam periurii sede
 chie regis ut historia libri secūdi palipome
 nō indicat: qui fidem promissā nabuchodo
 nosor regi chaldeorum non seruabant: populū israel
 refert cōmemorato rege hierusalē expugnata hieru.

salē captiuū in babilonē fuisse perductū. Sed cū me-
morat⁹ pp̄ls multis tēporib⁹ idolis seruiēdo etiam
effusione sanguinis innocentū se grauiter impiasset
nolēs de⁹ generatōnē uniuersā eiusedē pp̄li ob causas
memoratas penit⁹ depire septuaginta annorū capti-
uitatē eūdem pp̄lm̄ in regno chaldeorū statuit susti-
nere: hac ratiōe ut cōpleto numero annorū nouus po-
pulus a memoratis peccatis immunis ad renouatio-
nē hierusalē perueiret. Sexagesimo itaq; secūdo āno:
regno caldeorū subuerso q; adhuc octo anni restabāt
ad regnandū: q; etiā sexta uisio danielis ostēdit: cum
pp̄ter causā sacrilegii: q; in eadē uisione cōtinetur fu-
isse extinctū darius q; medis impabat: ut septima ui-
sio danielis ostēdit: memorat⁹ in regno successit. Cu-
ius primo anno regni: ut decima uisio danielis mani-
festat: daniel supputatis annis uidēs appropinq̄re tē-
p̄us reuersiois. q; per hieremiā fuerat promissa: orās
tam pro se q; pro pp̄lo eādē promissionē a deo pos-
tulabat impleri: cui per gabrielē archāgelū in eadem
uisione iuxta preces eiusedē uniuersa cōpleta esse: de⁹
dixit. Nā moriente supradicto dario rege medorū &
succedēte ī regno cyro rege persarū. promissione dei
cōpleta p̄ eūdem regē populūq; israel in hierusalē re-
ductū: historia secundū libri paralipomenō: & initiū
esdre p̄phete confirmāt. Cūq; a pp̄lo israel & seniori-
bus tēplū dei edificari cepisset: mortuo cyro rege ac:
regnāte dario rege persarū q; memorato cyro successisse

ret: uicinē gētes ciuitatis hierl̄m ut idē esdras refert
 restauratiōē tēpli & ciuitatis resistēdo īpedire cepe-
 rūt. q̄ rōne deterrit⁹ ppl̄s isrl̄: repatiōē supradicti tē-
 pli dñi: necdū, iuxta p̄missionē cōcessam eē credebat.
 Prop̄t qd̄ i secūdo āno regni memorati darij regis p̄
 farū agge⁹ p̄pheta a deo missus zorobabel q̄ de tribu
 erat iuda: q̄ ptatē regni susceptur⁹ erat: & iesū filium
 iosedech sūmū sacerdotē āmonet: ut credant cōpleto
 numero annorū tēpus restauratiōis hierl̄m aduenisse
 hoc etiā addito: ne incredulitatē ppl̄i uellēt imitari:
 de quo deus p̄ eū dixit. Ppl̄s hic dicit. Nōdū uenit tē-
 pus ut edificet̄ domus dei. Oīa aut̄ que textu huius
 p̄phetie cōtinent: reuersiōē populi: edificatiōē tē-
 pli: renouatiōē ciuitatis: obseruatiā sacerdotalē: &
 initiū regnorū gētiū exterarū significāt.

Incipit prologus in zachariam prophetam.

Secūdo anno darij regis medorū aggeū & za-
 chariā p̄phetasse lectiōes eorūde declarant.
 Sed hac de cā agge⁹ zacharie i ordine p̄phe-
 tarū p̄lat⁹ eē uidet̄: q̄ eū duob⁹ mētib⁹: ut p̄dictoꝝ le-
 ctiōes oñdūt: i p̄phetia p̄cessisse iuenit̄: & ad repatio-
 nē tēpli p̄cepto dei ppl̄m animasse ut esdras refert dī-
 cēs. In secūdo āno darij regis p̄farū p̄phetauerūt ag-
 geus & zachariās fili⁹ addo p̄phete sup̄ iudeos q̄ erāt
 i iuda & isrl̄: sup̄ hierl̄m i noīe dei sup̄ eos. Tūc surre-
 xerunt zorobabel fili⁹ salathiel & iesus fili⁹ iosedech
 & p̄cipes ei⁹ i choauerūtq; edificare domū dei q̄ ē i

hierlm. Quibꝰ cū adessent pphete: exhortatiōe sua ad
iuuerūt eos. Nā & pplm isrl ab imitatiōe p̄norū de-
lictōrū p suā amonitiōē idē ppheta cupiēs reuocare
uerbis lectiōe comprehēsis usus ē. Vidi nocte & ecce
uir ascēderat sup equū rubeū &c. Vidit ppheta uir
equo rubeo sedētē: & stātē ī medio myrteti umbrosi
cuiꝰ uisiōis hec solutio ē. Vir ascēdēs equū rubeū: li-
cet angelꝰ intelligat: tñ q̄a p̄dicti coloris equū cōscēde-
re uisus ē uidiētā sāguis ī eā gētē significat afferēdā:
q̄ pplm isrl ī captiuitatem redegerat. Nā & esayas p
pheta p ruborē uestimētōꝝ iter gētes uidiētā cū sā-
guine a deo pferendā demōstras his uerbis usus ē dī-
cēs. Quis ē iste q̄ uenit de edō rictis uestibꝰ de bozra
&c. Stātē uero ī medio myrteti umbrātis q̄ dixit leti-
ciā pp̄lo affuturā: p myrteti significatiōē uoluit de-
signari. Eiꝰ ligni moyses in leuitico cū faceret mētio-
nē ait: accipietis die prima fructus ligni speciosi: ut
leticiā populi p bene olentis ligni & speciosi umbra-
culū demōstraret. Sed hanc uisiōē q̄ liberationē po-
puli: & uindiētā de aduersarijs affuturā demonstrat:
ob hoc noctu ppheta se uidisse memorauit: q̄a pplm
isrl ī prima liberationē de terra egypti: noctu discessit
se cōstabat: cuius exēpli q̄ p̄sens ppl̄s aliquā partē ī
se retinere uidebat: liberatiō eiusdē ac reditus capti-
uitatis de terra chaldeorū p noctē pphete ē reuelata.

Incipit prologus in malachiā pphetam.

Eus p moysen pp̄lo isrl p̄ceperat: sacerdotes
d tabernaculi sui oī corporali uitio liberos ho-

stias oī uitio uacuas sibi offerre. Quibus legē suā ad
 regēdū pplm ob hoc dederat: ut p sacrificiorū oblati
 onē itetnūcij dei & hominū facti: pplm pceptis cele
 stib⁹ facerēt obedire. uñ sacerdotes āgelos eē hoc ī lo
 co scriptura testat. Sed qa tāti muneris gratiā cōtēnē
 tes supradictus ppl's ac sacerdotes sacrificia uitio de
 turpata: ip's criminib⁹ atq; ī pietatib⁹ maculati: deo
 offerre ceperūt. Ideo p malachiā pphetā de⁹ pplm suū
 israel ī crepās ait. Dilexi uos: dicit dñs. Et dixistis. In
 quo dilexisti nos? Nōne fr̄ erat esau iacob: dicit dñs
 & dilexi iacob: esau at̄ odio habui. Esau at̄ frēm iacob
 nō iniq̄ aut spōtanea uolūtate odio habitū a deo: uñ si
 ne meriti grā iacob dilectū māifestū ē cū fm p̄sentia
 suā esau qdē effusioe frat̄ni sāguis cōcupiscere: iacob
 aut̄ ī sui cognitiōe obseruādā legē desiderare cogno
 sceret. Cui⁹ rei grā supradicta usus ē exēplo dicēs Di
 lexi iacob: esau aut̄ odio habui. Quāuis ex opibus me
 moratoꝝ quoꝝ liber geneseos meminint ī quo unus
 qsq; eorum futurus erat: pposito manifeste cōstaret
 ut scriptū ē. Creuerūt pueri & erat esau hō aggressis
 sciēs uenari: iacob aut̄ hō simplex manēs ī tabernacu
 lo. Nā reliqua que lectiōe cōprehēsa sunt p̄uaricatio
 ne populi israel ī obseruādis sacrificijs dei ī crepātiō
 nēq; ī cūdē: q; deos alienos colucrūt significāt.

Incipit plog⁹ bt̄i hieronymi p̄sbyteri ī libros macha
 Achabeorum libri duo prenotāt; prelia iter
 m hebreorū duces gentēq; p̄sarū: pugnā quoq;

sabbatorum & nobiles machabei ducis triumphos: ex
cuius nomine & libri iidem sunt nuncupati. Hec quoque histo-
ria continet etiam Isolyta illa gesta machabeorum fratrum: qui
sub antiocho rege per sacris legibus dira tormenta per-
pessi sunt. Quos mihi pia dum diuersis supplicijs urgerent
non solum non fleuit: sed & gaudes hortabatur ad gloriam
passionis.

Item alius prologus.

M Achabeorum libri licet non habeantur in canone he-
breorum: tamen ab ecclesia inter diuinos voluminum
annotantur historias. Prenotant autem plura inter
hebreorum duces gentisque ipsarum: pugnam quoque sabbato-
rum: & nobiles machabei triumphos: fedus quoque amici-
tiarum cum romanorum ducibus atque legationum. Machabei
septem fratres ab una matre machabea nomine geniti: custodi-
entes legem: prius traditionem: non manducantes carnem porci
nam. ob hoc ab antiocho rege seuerissimo in antiochia
martyrii gloria coronati sunt cum matre sua: atque sepulti cum
magna ueneratione ibi quiescunt. Incipit epistola beati
hieronymi ad damasum papam in qua tetraeuangelistas.

Eratissimo papae damaso hieronymus. Nouum
operum me facere cogis ex ueteri: ut post exempla
scripturarum toto orbe dispersa quasi quaedam arbi-
ter sedeant: & quae inter se uariant quae sunt illa quae cum graeca con-
sentiunt ueritate decernant. Pius labor sed periculosa praesum-
ptio iudicare: de ceteris praesumptum ab omnibus iudicandum: sensus
mutare linguam: & canes ferre mundum ad initia retrahere
paruulorum. Quis enim doctus pariter uel indoctus: cum in ma-
nus uolumen assumpsit: et a salua quam semel sibi bibit: ui-

derit discrepare qd lectitat: nō statī erūpat ī uocē me
 falsariū: me clamās eē sacrilegū: q̄ audeā aliqd ī uete
 rib⁹ libris addere: mutare: corrigere? Aduersus quā
 iuidiā duplex cā me cōsolat: q̄ & tu q̄ sūm⁹ sacerdos
 es fieri iubes: & uerū nō eē qd uariat: etiā maledicoꝝ
 testimonio cōprobat. Si enī latinis exēplarib⁹ fides ē
 adhibēda: rñdeāt qb⁹ tot sūt exēplaria plene quot co
 dices. Sin aut ueritas ē q̄ rēda de pluribus: cur nō ad
 grecā originē reuertēres ea q̄ uel a uiciosīs īterp̄tib⁹
 male edita uel a p̄sūprorib⁹ īperītis emēdata p̄uerfi⁹
 uel a librarijs dormitātib⁹: aut addita sunt aut muta
 ta corrigimus? Neq; uero ego de ueteri disputo testa
 mēto: qd a septuaginta seniorib⁹ ī grecā liguā uersū
 tertio gradu ad nos usq; puenit. Non q̄ro qd aqla qd
 symmach⁹ sapiāt: q̄re theodotiō īter nouos & uetres
 medi⁹ icedat. Sit illa uera īterp̄tatio quā ap̄li p̄baue
 rūt. De nouo nūc loquor testamēto quod grecum eē
 nō dubiū ē: excepto ap̄lo mattheo: q̄ primus ī iudea
 euāgelīū xp̄i hebraicis lris edidit. Hoc certe cū ī nro
 sermone discordat: & diuersos riuulorū tramites du
 cit: uno de fonte q̄ rēdus est. Pretermitto eos codices
 quos a luciano ethesicio nūcupatores paucorū homi
 nū asserit p̄uersa cōtētio: qb⁹ utiq; nec ī ueteri testa
 mēto post septuaginta īterp̄tes emēdare qd licuit: nec
 ī nouo p̄fuit emēdasse. cū multarū gētiū linguīs scri
 ptura ante trāslata doceat falsa eē q̄ addita sūt. Igitur
 hec p̄sens p̄faciūcula pollicet q̄ tuor tantū euāgelia:

quorū ordo ē iste. Mattheus: Marcus: Lucas: Ioānes/
codicū grecorū emēdata collatiōe: sed uetētū que ne
multū a lectiōis latine cōsuetudine discreparēt ita ca
lamo īperauimus: ut hīs tātū que sensum uidebātur
mutare: correctis: reliqua manere pateremur ut fue
rāt. Canones quoq; quos Eusebi⁹ cesariēsis ep̄s alexā
drinū secutus amonitiū in decē numeros ordinauit
sicut in greco habētur exp̄tessimus. Quod si quis de
curiosis uoluerit nosse q̄ in euāgelijis uel eadē: uel ui
cina uel sola sint eorū distinctiōe cognoscet. Magn⁹
siquidē hic in nostis codicibus error inoleuit dum
quod in eadē re: alius euāgelista plus dixit in alio q̄a
minus putauerint addiderūt: uel dū eūdē sensum ali
us aliter expressit: ille qui unū e quattuor primū le
gerat ad eius exēplū: ceteros quoq; estimauerit emen
dādos. Vnde accidit ut apud nos mixta sint oīa: & in
marco plura. Luce atq; matthei. Rursus in mattheo
plura ioannis & marci: & in ceteris reliquorū que in
alijs ppria sunt inueniant. Cū itaq; canones legeris:
qui subiecti sunt cōfusiōis errore sublato & similia:
omnium scies & singulis sua queq; restitues. In cano
ne primo cōcordāt quattuor. Mattheus. Marcus. Lu
cas. Ioānes. In secūdo tres. mattheus. marcus. lucas.
In tertio tres. matthe⁹. lucas. ioannes. In quarto tres
mattheus. marcus. ioannes. In quinto duo. matthe⁹.
lucas. In sexto duo. mattheus. marc⁹. In septimo duo
mattheus. ioannes. In octauo duo. lucas. marcus. In

nono duo. lucas. iohannes. In decimo propria unusquisque que non habetur in alijs ediderunt. Singulis uero euangelijs ab uno incipiens usque ad finem librorum dispar numerus accrescit. Hic nigro colore prescriptus sub se habet alium ex minio discolorem numerum: qui ad decem usque procedens indicat: prior numerus in quo sit canone requirendus. Cum ergo aperto codice uerbi gratia illud siue illud capitulum scire uolueris cuius canonis sit statim ex subiecto numero doceberis: & recurrēs ad principia in quibus canonum est distincta cogeris: eodemque statim canone ex titulo fratris iueto illum quem queras numerum eiusdem euangelij quod & ipse ex inscriptione signatur inuenies atque e uicino ceterorum tramitibus in spectis quos numeros e regione habeant adnotabis: & cum scieris: recutres ad uolumina singulorum: & sine mora repertis numeris quos ante signaueras repies: & loca in quibus uel eadem uel uicina dixerunt. Opto ut in christo ualeas: & memineris mei papa beatissime.

Incipit alius prologus.

Lures fuisse quod euangelia scripserunt. lucas euangelista testatur dicens. Quonia quidem multi conati sunt ordinare narrationem rerum que in nobis complete sunt sicut tradiderunt nobis quod ab initio ipsi uiderunt sermonem: & ministrauerunt ei: & perseuerantia usque ad presens tempus monimenta declarant: que a diuersis auctoribus edita diuersarum heresum fuere principia ut est illud iuxta egyptios: & thomam & mathiam

e iiii

& bartholomeū duodecim quoq; ap̄torū: & basilidis
atq; ap̄tis ac reliquorū quos enumerare lōgissimū est
cū hoc tātū ī p̄sētiarū necesse sit dicere: extitisse quos
dā q̄ sine sp̄ū & gr̄a dei conati sūr magis ordinare nar
rationē: q̄ hystorie texere ueritatē. Quib⁹ iure pōt il
lud p̄pheticū coaptari. Ve q̄ p̄ferunt: de corde suo: q̄
ambulāt post sp̄m suū: q̄ dicūt. Hec dicit dñs: & dñs
nō misit eos. de qb⁹ & saluator ī euāgelio loānis loq̄r
Oēs q̄ ante me uenerūt fures fuerūt & latrones. Qui
uenerūt: nō q̄ missi sūt. Ip̄e enī ait. Veniebant: & ego
nō mittebā eos. In ueniētib⁹ p̄sumptio temeritatis: ī
missis obsequiū seruitutis ē. Eccl̄ia at̄ q̄ dñi uoce su
pra petrā fūdata ē quā ītrodūxit rex in cubiculū suū
& ad quā p̄ foramē] descēsiōis occulte misit manū su
am sūtis damule hinnuloq; ceruorū q̄ttuor uolumi
na padisi instar eructās q̄ttuor & angulos & ānulos
habet: p̄ quos q̄si archa testamēti & custos legis dñi
linguis mobilib⁹ uehit. Prim⁹ omnīū matthe⁹ ē pu
blican⁹ cognomēto leui: q̄ euāgelium ī iudea hebreo
sermone edidit: ob eorū ul̄ maxie causam q̄ ī iesū cre
diderant ex iudeis: & nequa q̄ legis umbra secedente
euāgelij ueritatē serualāt. Secūdus marcus īterpres
ap̄li petri: & alexandrinē eccl̄ie prim⁹ ep̄s: q̄ dñm qdē
saluatorē ip̄e nō uidit: sed ea q̄ audierat magistrū p̄di
cātē: iuxta fidē magis gestorū narrauit q̄ ordinē. Ter
tius lucas medic⁹ natiōe syrus antiochēsis cui⁹ laus ī
euāgelio: q̄ & ip̄e discipulus ap̄li pauli ī achaie bithi

necq; ptibus uolumē cōdidit: quedā altius repetens
 & ut ip̄e in phemio cōfitetur audita magis q̄ uisa de
 scribēs. Vltim⁹ iohannes ap̄ls & euangelista quē iesus
 amauit plurimū: q̄ sup pectus dñi recumbēs purissi
 ma doctrinarū fluēta potauit: & q̄ solus de cruce me
 ruit audire. Ecce m̄ tua. Is cū eēt ī asia: & iā tūc here
 ticorū semina pullularent cherinthi: ebionis: & cete
 rorū q̄ negāt xpm ī carne uenisse: quos & ip̄e in eplā
 sua antichristos uocat: & ap̄ls paulus frequēter p̄cu
 tit: coactus ē ab oib⁹ pene tūc asie ep̄is & multarum
 ecclesiarū legatiōibus de diuinitate saluatoris altius
 scribere: & ad ip̄m ut ita dicā dei uerbum: nō tam au
 daci q̄ felici temeritate p̄rūpere: ut ecclesiastica nar
 rat hystoria: cū a fratribus cogeret ut scriberet ita fa
 cturū se respōdisse si in dicto ieiunio ī cōe oēs deum
 dep̄arent. Quo expleto reuelatiōe saturatus in illud
 phemiū celo ueniēs eructauit. In principio erat uer
 bū: & uerbū erat apud deū: & deus erat uerbū. Hoc
 erat ī principio apud deū. Hec igit̄ q̄ttuor euangelia
 multo ante p̄dicta ezechielis quoq; uolumē p̄bat: in
 quo prima uisio ita cōtexit̄. Et ī medio similitudo q̄ttu
 or aīaliū: & uult⁹ eorū. Facies hoīs & facies leonis &
 facies uituli & facies aqle. Prima hoīs facies matthe
 um significat q̄ q̄si de hoīe exorsus ē scribere. Liber
 generatiōis iesu xpi filij dauid filij abrahā. Secunda
 marcū: ī quo uox leonis: ī heremo rugiētis auditur.
 Vox clamātis ī deserto parate uia dñi: rectas facite se

mitas eius. Tertia uítuli: que euágelistá lucá a zacha-
rie sacerdote assumpsisse initiú p̄figurat. Quarta io-
annē euangelistá q̄ assumptis p̄enis aq̄le & ad altiora
festinans de uerbo dei disputat. Cetera q̄ sequunt̄: in
eúde sensú p̄ficiúnt. Crura eorú recta & p̄nati pedes
& quocúq; sp̄s íbat: íbat: & nō reuertebant̄ & dorsa
eorú plena oculis: & scintille. h̄as l̄apades í medio dis-
currētes: & rota í rotá: & í singulis q̄ttuor facies. Vñ
& apocalypsis ioannis post expositionē uiginti q̄ttu-
or seniorú qui tenentes cytharas & phialas adorātes
agnú dei ítroducít fulgura atq; tonitrua: & septē spi-
ritus discurrētes & mare uitreú: & q̄ttuor āialia plē-
na oculis dicēs. Āial primú síle leoni: & secúndum síle
uitulo: & tertíu síle hoí: & quartú síle aq̄le uolāti. Et
post paululú. Plena inqt̄ erāt oculis: & requiē nō ha-
bebāt die ac nocte dicētia. S̄actus: sanctus: sanct⁹ do-
min⁹ de⁹ oípotēs: q̄ erat: q̄ ē: & q̄ uēturus ē. Quibus
cúctis p̄spicue ostēdit̄: quattuor debere tantú euáge-
lia suscipi: & oēs apocriphorum ncnias mortuis ma-
gis hereticis q̄ ecclesiasticis uiuis canēdas.

Sequitur prologus in mattheum.

m Attheus cū primo p̄dicasset euágelíu in iu-
dea uolēs tráire ad gētes primus euangelíu
scripsit hebraice: quod fratrib⁹ a q̄bus íbat:
ad memoriá reliquit. Sicut enī necesse fuit ad confir-
mationē fidei euágelíu p̄dicare: sic & cōtra hereticos
scribi. Cū aut̄ plures euangelíu scripserint: quattuor

tātū habēt auctoritatis testimoniū: quia p̄ quattuor
 mūdi ptes fidē nunciāt trinitatis: & sunt q̄si quattu
 or rote ī q̄driga dñi q̄ uehit eū p̄ p̄dicationē euāgelij
 & genus humanū quadrifida morte p̄emptū: eorum
 erat p̄dicationē uiuificādū: unde & aliorū euāgelia de
 ciderūt: nec recepta sunt: q̄a nolebāt p̄finitū numeꝛ
 cassari p̄pter uirtutē sacramēti. Designant etiā euan
 geliste q̄ttuor figuris q̄ nō sunt deceptorie: sed iocū
 di mysterij sibi cōscie. Matthe⁹ ī hoīe ītelligit: q̄a cir
 cā humanitatē xp̄i p̄cipaliter īmorat. Marc⁹ ī leone
 q̄a agit de resurrectiōe. Lucas in uitulo agēs de sacer
 dotio. Ioannes ī aqla scribēs sacramēta diuinitatis.
 Xps̄ uero quē describūt hō fuit de uirgine natus. Vi
 tulus ī imolatiōe. Leo ī resurrectiōe. Aqla ī ascēsiōe.
 Vel in hoīe humanitatis. In uitulo sacerdotiū. In leo
 ne regnū. In aqla exprimit̄ diuinitatis sacramētū.

Incipit argumētū in euāgeliiū s̄m mattheū.

Atthe⁹ ex iudea sicut ī ordine primus ponit̄
 m ita euāgeliiū ī iudea primus scripsit: cui⁹ uo
 catio ad dñm ex publicanis actib⁹ fuit: duo
 rū ī generatiōe xp̄i principia p̄sumēs: uni⁹ cui⁹ p̄ria
 circūcisio ī carne: alteri⁹ cui⁹ secūdū cor electio fuit.
 Ex utriusq; enī p̄ribus xp̄s. Sicq; q̄ternario numero
 triformiter posito principiiū a credēdi fide in electio
 nis tēpus porrigēs: & ex ea electiōe usq; ī trāsmigra
 tionis diem dirigēs: atq; a trāsmigrationis die usq;
 ī xp̄m definiēs: decursam aduentus domini ostēdit.

generationē & numero satisfaciens & tpi: ut & se qd
eēt ostēderet: & dei ī se op^o mōstrās etiā in his quorū
gen^o posuit xpi opātis a p̄cipio testimoniū nō nega
ret. Quarū omniū rerū: tēp^o: ordo: numer^o: disposi
tio: uel ratio quod fidei necessariū ē: de^o xps ē: qui fa
ctus ex muliere: fact^o sub lege: nat^o ex uirgine: passus
ī carne: oīa ī cruce fixit: ut triūphās ea ī lemetipo re
surgēs ī corpore: & p̄ris nomē ī p̄rib^o filio: & filij no
mē p̄ri restituēs ī filijs sine p̄cipio sine fine: oñdēs
unū se cū p̄re eē: q̄a un^o ē. In quo euāgelio utile ē desū
derātib^o deū sic p̄ria uel mediā uel p̄fecta cognosceret:
ut & uocationē apli: & op^o euāgelij: & dilectionē dei
ī carne nascētis p̄ uniuersa legētes itelligāt atq; id in
eo ī quo ap̄phēsi sunt: & ap̄phēdere appetūt recogno
scāt. Nobis enim hoc in studio argumenti fuit: & fi
dē facte rei tradere: & operātis dei intelligēdā dilige
ter eē dispositionē querētibus nō tacere.

Incipit prologus in euangeliū fm marcū.

Incipit
m Arcus euangelista dei electus & petri in ba
ptismate filius: atq; in diuino sermone disci
pulus sacerdotiū in israhel agens fm carnē le
uita: ad fidē xpi cōuersus euangeliū in italia scripsit:
ostēdēs in eo quid & generi suo deberet: & xpo. nam
inītiū principij ī uoce p̄phetice exclamatiōis institu
ens ordinē leuitice electiōis ostēdit: ut p̄dicās p̄desti
natū ioannē filiū zacharie in uoce angeli annuncian
tis emissum: non solū uerbū carnē factum: sed & cor
pus dñi in omnia p̄ uerbū diuine uocis aīatū: in inī

tio euāgelice p̄dicatiōis ostēderet: ut q̄ hec legens sci-
ret cui inītiū carnis ī dño: & iesu adueniētis habita-
culū caro deberet agnoscere: atq; ī se uerbū uocis qd̄
ī eōsonātib⁹ pdiderat īueniret. Deniq; cū p̄fecti euan-
gelij op⁹ intrās: & a baptīsmo dñi p̄dicare deū incho-
ans: nō laborauit natīuitatē carnis quā ī priorib⁹ ui-
derat dicere: sed toti⁹ exprīmens expositionē deserti.
numerū ieiunij: tētationē diaboli: congregationē be-
stiarū & ministeriū ptulit angelorū: ut īstituēs nos
ad itelligēdū singula ī breui cōpingēs: nec auctorita-
tē facte rei demeret & p̄ficiēdi opis plenitudinē non
negaret. Deniq; amputasse sibi post fidem pollicē dē
ut sacerdotio reprobis haberet: sed tātū eōsentīēs fi-
dei p̄destinata potuit electio: ut nec sic ī ope uerbi p̄-
deret q̄ prius meruerat ī genere. Nā alexādrīe ep̄s fu-
it. Cuius p̄ singula opus fuit scire: & euāgelij in se di-
cta disponere: & disciplinā legis ī se agnoscere: & di-
uinā ī carne dñi itelligere naturā. Que in nos primū
requi oportet: dehinc īq̄sita uolumus agnosci habē-
tes mercedē exhortatiōis: qm̄ qui plātat & qui rigat
unū sunt: qui aut̄ in eremētū p̄stat deus ē.

Incipit p̄logus in euangeliū fm̄ iōannem.

h Ic ē iōānes euāgelista un⁹ ex discipul⁹ dñi: q̄
uirgo a deo elect⁹ est: quē de nuptijs uolētē
nubere uocauit de⁹. Cui uirginitatis ī hoc
duplex testimoniū dat̄ ī euāgelio q̄ & p̄ ceteris dile-
ctus a deo dī: & huic matrē suā p̄dēs ī cruce cōmen-
dauit dñs: ut uirginē uirgo seruaret. Deniq; manife-

stās in euāgelio q̄ erat ip̄e incorruptibilis uerbi oꝝ
inchoās: solus uerbū carnē factū ēē: nec lumē a tere-
bris cōprehēsum fuisse, testat: primū signū ponēs q̄
ī nuptijs fecit dñs ostēdēs q̄ ip̄e erat: ut legētibus de-
mōstraret q̄ ubi dñs inuitatus sit: deficere nuptiarū
uinū debeat & ueteribꝯ imutatis noua oīa q̄ a xp̄o in-
stituunt̄ appareāt. Hoc aut̄ euāgeliū scripsit in asia:
postea q̄ ī pathmos insula apocalypsim scripserat: ut
cui in principio canonis incorruptibile principiū p̄
notat ī genesi: ei etiā incorruptibilis finis p̄ uirginē
in apocalypsi redderet dicēte xp̄o. Ego sum alpha &
o. Et hic ē iohannes qui sciens supuenisse diē recessus
sui cōuocatis discipulis suis ī epheso: p̄ multa signō-
rū experimēta promēs xp̄m: descendens in defossum
sepulture sue locū facta oratione: positus ē ad patres
suos: tam extraneus a dolore mortis q̄ a corruptione
carnis inuenit̄ alienus. Tñ post oēs euāgeliū scripsit
& hoc uirgini debebat. Quorū tñ uel scriptorū tp̄is
dispositio: uel librorū ordinatio: ideo a nobis p̄ singu-
la nō exponit̄: ut sciēdi desiderio collato & q̄rētibus
fructus laboris: & deo magisterij doctrina seruet̄.

Incipit p̄logus specialis ī epistolā ad romanos.

r Omani sunt q̄ ex iudeis & gētibus credide-
rūt. hi sup̄ba cōtentiōe uolebāt se alterutrū
supponere. Nā iudei dicebāt. Nos sumꝯ po-
pulus dei quos ab initio dilexit & fouit. Nos circūci-
si ex genere abrahā scā descendimus ex stirpe: & notus
retro apud iudeā tātū deꝯ. Nos de egypto signis dei

40

& uirtutibus liberati: mare sicco p̄trāsiuimus pedes:
cū inimicos n̄ros grauissimī fluctus inuoluerēt. No-
bis pluuit māna dñs in deserto: & q̄si filijs suis celeste
pabulū ministrauit. Nos die noctuq; ī colūna nubis
ignisq; p̄cessit: ut nobis ī inuio iter ostēderet. Atq; ut
cetera ei⁹ circa nos imēsa beneficia taceamus: nos so-
li digni fuim⁹ dei legē accipe: & uocē dei loquētis au-
dire: eiusq; cognoscere uolūtātē. In qua lege nobis p̄-
missus ē x̄ps ad quos etiā ip̄e se uenisse testatus ē di-
cens. Nō ueni nisi ad oues q̄ perierāt domus israel:
cū uos canes potius q̄ hoīes appellauerit. Equū ne er-
go ē ut idola hodie deferētes q̄bus ab initio deserui-
stis nobis cōparemini: & nō poti⁹ ī p̄selitorū locū ex
legis auctoritate & cōsuetudini deputemini. Et hoc
ip̄m nō merebamini nisi q̄a larga sēp dei clemētia uo-
luit uos ad nostrā imitationē admittere. Gentes etiā
cōtrario respōdebāt. Quāto enī maiora erga uos dei
b̄nficia narraueritis: tāto maioris uos criminis reos
eē mōstrabit. Sēp enī his oīb⁹ extitistis īgrati. Nā
ip̄is pedib⁹ q̄b⁹ aridū mare trāsiistis: ludebatis añ ido-
la q̄ fecistis: & ip̄o ore quo paulo ante ob necē aduer-
sariorū dño cātaueratis simulacra uobis fieri popos-
cebatis. Illis ocul⁹ q̄b⁹ uenerādo deū ī nube ul' igne cō-
spicere solebatis: simulacra ituebamini. Māna quoq;
uobis fastidio fuit: & semp ī deserto cōtra dñm mur-
murastis ad egyptū uñ uos manu ualida ciecerat: re-
dire cupiētes: qd̄ plura. Ita p̄cs uestrī crebra puoca-
tiōe dñm irritauerūt: ut oēs ī heremo morrerent nec

plus ex senioribus eorum quam duo homines terram repromissionis intraret. Sed quod antiquam replicam: cum etiam si illa minime fecissetis de hoc solo nemo uos dignos uenia iudicaret: quod dominum in christum prophetarum semper uobis uocibus repromissum non solum suscipere uoluistis: sed etiam morte pessima pemistis: Quae ut nos cognouimus: statim credidimus: cum nobis de eo antea non fuerat predicatum. Vnde probatur quod idolis seruiuimus: non obstinationi mentis: sed ignorantie depurandum. Qui enim cognitum illico sequimur: uolunt utique sequi remur si antea cognouissemus. Sic autem uos de generis nobilitate iactatis quasi non morum imitatio magis quam carnalis natiuitas filios uos faciat esse scorum. Denique esau & ismahel cum de stirpe sint abrahae: minime tamen in filiis reputantur. His taliter altercatibus apostolus se medium interponens ita partium dirimit quaestiones: ut neutrum eorum sua iusticia salutem meruisse confirmet: ambos uero populos & scientes & grauius deliquisse. Iudeos quidem quod per peruariationem legis deum ihonorauerint: gentes uero quod cum cognitum de creatura creatorum ut deum debuerint uenerari: gloriam eius in manufacta mutauerint simulacra. Utrosque etiam filii ueniam consecutos: equales esse uerissima ratione demonstrat: praesertim cum in eadem lege predictum sit & iudeos & gentes ad christi fide uocandos esse. Quapropter uicium fin eos humilians ad pacem & concordiam cohortatur.

Incipit argumentum.

Omnia sunt partibus italicis. Hi praesertim sunt a falsis apostolis: & sub nomine domini nostri iesu christi in lege & prophetas erant inducti. Hos reuocat apostolus ad uer-

41
ram & euangelicam fidem: scribens eis a corintho.

Incipit plogus in primā epistolā ad corinthios.

Pistola prima ad corinthios mltas cās diuer
c fasq; cōplectit. Quarū ptē relatiōe fratrum
cognouit ap̄ls. Partim ip̄orū corinthioꝝ sūt
lris iudicate. Nonnullas uero p̄ officij sui cura: aut or
dinat: aut emēdat: & uarijs curatiōib⁹ medet̄ diuersa
infirmitate lāguētib⁹. Nā apud eos primū curat̄ dif
fensiōis uitiū q̄ mlti pseudo ap̄lorū unitatē itulerūt
scindētes ecclie: ut ppriij noīs facerēt sectatores q̄ his
exprobat̄ uerbis ap̄ls. Hoc at̄ dico q̄ unusq; uestrū
dicit. Ego qdē sū pauli: ego aut̄ appollo: ego uero ce
phe: ego aut̄ xp̄i. Et ob hoc quidē horū se dicit facere
nominū mētionē: ut mltō magis erubescāt id se face
re sub falsorū ap̄lorū noib⁹: q̄ etiā si sub pauli & pe
tri fierēt noīe displiceret. Secūda cā ei⁹ iducit̄: q̄ p̄
ne oblit⁹ reuerētie uxore sibi nō erubuit facere de no
uerca. Quod facinus licet fornicationē appellauerit
ap̄ls: tñ ita cōdēnauit: ut i ultionē facti auctore talis
op̄is diabolo iudicauerit deputādū: ip̄osita iudicioꝝ
& litiū. tertia q̄stioe. Quarto loco matrimoniorū iu
ra tractant̄ his. Quinto loco uirginitatis consiliū ue
lut e uicino cōiūgit̄. Sexto loco de escarū licentia dif
putat̄. Septimo atq; octauo loco de attēdēdo uiris &
mfierib⁹ uelādo capite: ac sacramētorū cōione p̄cipit̄
Nono loco emulatio q̄ diuersitate donorū sp̄ualium
nascebat̄ sub exēplo mēbrorū & corporis castigatur.

Decimo resurrectiōis spes multis argumētis & rōni
b^o approbat. Ultimo de colligēdis ad necessitatē scō
rū noīe charitatis cura uel edificatio cult^o i^oponit. In
terferunt his pauca: q̄ aut ut q̄busdā uidet: p̄dēt ex
superiorib^o: aut habēt licet pprias tñ puulas actiones.

Incipit argumentum.

c. Orinthij sunt achaici & hi sifr ab aplo audi
erūt uerbū ueritatis: & subuersi sunt multi
pharica a falsis aplis: qdā a philosophie uer
bosa eloquēria. alij secta legis iudaice i^oducti sūt. hos
reuocat apls ad uerā fidē & euāgelicā sapiētiam: scri
bēs eis ab epheso p̄ timotheū discipulū suū.

Incipit plogus in secūda ep̄la ad corinthios.

i. N secūda ad corinthios ep̄la q̄si i pte supio
ri post tribulationū suarū relationes reddit
cās quare ad eos secūdo nō ierit: qm̄ nō leui
mutatiōe consilij fecisse se asserit: sed ne aduentu suo
tristiciā icurreret: cum i pctō p̄manere discipulos re
perisset. Deinde post agnitos fruct^o p̄nic reconciliat
eū ecclie: quē i prima p̄pter fornicationē a consortio
scōrū iusserat amoueri. Tertio cōtra pseudo aplos of
ficij sui dignitatē tuet: & noui testamenti ministros
tāto anteire grā ostēdit quāto euāgelicū ē lege p̄stāt^o
Immorat etiā i cā illa plurimū quā breuiter i prima
cōtigerat: ut prompto ac libētī aīo necessaria p̄sentis
uite nō habentib^o largiant & utilitate spūalis cōmer
tij cōmutēt p̄sentia cū futuris atq; abūdātia sua scōr

īopiā suppleāt: ut uicissim eotū īopia scōrū abūdātia
suppleat. In fine repetit quod superius cōtra pseudo
ap̄los egerat & iactationē eorū p̄dicatiōesq; de se gl̄io
sas: uel collata antiq̄tate generis: uel cathalogo iniu-
riarū ac piculorū suorū euacuat. Dicitq; eos oparios
subdolos q̄ ad imitationē sathane trāssfigurēt ī ap̄los
xp̄i: sub p̄dicatiōis spe lucrā pecuniaria q̄q; sectātes.

Incipit argumentū.

Ost actā a corinthijs penitētiā consolatiā
p scribit eis eplam ap̄ls a troade p̄ titū: & col-
laudās eos hortat ad meliora: contristatos q̄
dem eos: sed emendatos ostendens.

Incipit argumentū in epistolā ad galathas.

Alathe sunt greci. hi uerbū ueritatis primū
h ab apostolo acceperūt: sed post discessū eius
tētati sunt a falsis apostolis: ut in legē & cir-
cuncisionem uerterentur. Hos apostolus reuocat ad
fidem ueritatis scribens eis ab epheso.

Incipit argumentū in epistolā ad epheseos.

Phesi sunt asiani. hi accepto uerbo ueritatis
e p̄stiterūt ī fide. Hos collaudat ap̄ls scribēs
eis a roma de carcere p̄ tythicū diaconem.

Incipit argumentum in epistolam ad philippenses.

Hilippēsēs sunt macedonēs. hi accepto uer-
p bo ueritatis perstiterunt in fide: nec recepe-
runt falsos apostolos. Hos collaudat aposto-
lus: scribēs eis a roma de carcere per epaphroditum.

Incipit argumentum in epistolâ ad colossenses.

Olostenses & hi sicut & laodoceses sūt asiani
c & ipi p̄uēti erāt a pseudo apl̄is. Nec ad hos
accessit ip̄e apl̄s: sed & hos p̄ epl̄am corrigit

Audierāt enī uerbū ab archyppo: q̄ & mysteriū ī eos
accepit. Ergo apl̄s iam ligatus scribit eis ab cpheso p̄
tychicū diaconē: & onefimū acolitū.

Incipit argumētū ī epl̄am ad thessalo. primā.

Thessalonicēses sunt macedones qui accepto
t uerbo ueritatis perstiterūt in fide: etiā in p̄
secutiōe ciuiū suorū. Pretcrea nec receperūt
falsos apostolos: nec ea que a falsis apostolis diceban
tur. Hos collaudat apostolus scribēs eis ab athenis p̄
tythum diaconem: & onefimū acolitū.

Incipit argumentū in epistolam secundam.

D thessalonicenses secundā scribit epistolā
a apostolus: & notum facit cis de temporib⁹
nouissimis & de aduersarij deiectione. Scri
bit hanc epistolam ab athenis per tythum diaconem
& onefimum acolitum.

Incipit argumentū in epistolâ ad thimotheū primā

Thimotheū instruit & docet de ordinatione
t ep̄at⁹ & diaconi: & oīs eccl̄iastice discipline
scribēs ei a laodicia p̄ tychicū diaconē.

Incipit argumentum in epistolam secundam.

Tē timotheo scribit de exhortatōe martyri
i & oī regula ueritatis: & qd futurū sit t̄pib⁹

nouissimis: & de sua passiōe scribēs ei ab urbe roma.

Incipit argumentū in epistolam ad titum.

Titum cōmonefacit & instruit de constitutiōe presbyterij: & de spiritali conuersatione: & hereticis uitandis qui traditiōibus iudaicis credunt: scribens ei a nicopoli.

Incipit argumentū in epistolā ad philemonē.

Philemoni familiares litteras facit p̄ onesium seruo eius: scribens ei ab urbe roma de carcere per suprascriptum onesium.

Incipit argumentum in epistolam ad hebreos.

In primis dicendū ē cur ap̄ls paulus in hac eplā scribēda nō seruauerit morē suū: ut uocabulū noīs sui uel ordinis describeret dignitatē. Hec cā ē: q̄ ad eos scribens q̄ ex circūcisiōe crediderāt q̄ si gētīū ap̄ls & nō hebreorū: sciēs quoq; eorū supbiā: suāq; humilitatē ip̄e demōstrās: meritū officij sui noluit anteferre. Nam sicut mō etiā iohannes ap̄ls p̄pter humilitatē ī eplā sua nomē suū eadē ratione non p̄tulit. Hāc ergo epistolā ser̄ ap̄ls ad hebreos cōscriptam hebraica lingua misisse: cuius sensum & ordinem retinēs lucas euāgelista post excessum apostoli pauli greco sermone composuit.

Incipit prefatio hieronymi in actus apostolorū.

Canit psalmista: ambulabūt de uirtutibus in uirtutes. Post ap̄li pauli eplās dudū uno uobis uolumine trāslatas dūmon & rogatiane

charissimi: actus ap̄torū cōpellit̄is ut trāsserā in lati-
nū quē librū nulli dubiū est a luca anthiocheno arte
medico q̄ post ea inseruiēs paulo ap̄to xp̄i factus est
discipulus fuisse editū. Ceruices p̄mit̄ ip̄osita sepius
oneris magnitudo: q̄a studia iuidiorū rephēsiōe di-
gna putant ea q̄ scribimus: illorū nunq̄ odio & detra-
ctiōe: iuuante xp̄o meū filebit eloquiū. Actus ap̄torū
nudā qdē uidentē sonare hystoriā: & nascētis ecclesie
infantiā texere: sed si nouerim⁹ scriptorē corū lucam
eē medicū: cui⁹ laus ē ī euangelio: aīaduertimus pari-
ter oīa uerba illius anime languentis esse medicinā.

Item alius prologus.

1. Vcas antiochēsis natiōe syr⁹ cui⁹ laus ī euā-
gelio canit̄ apud antiochiā medicīne artis
egregi⁹: & ap̄torū xp̄i discipul⁹ fuit: postea
usq̄ ad cōfessionē paulū cōsecut⁹ apl̄m: si ne crimine
ī uirginitate p̄manēs deo maluit seruire. Qui septua-
gintaq̄ttuor ānos agēs ī bitynia obiit̄ plenus sp̄ū scō
quo istigāte ī achaie ptib⁹ euāgeliū scribēs grecis fi-
delib⁹ incarnationē dñi fideli narratōe ostēdit: eūdeq̄
ex stirpe dauid descēdisse mōstrauit. Cui nō īmerito
scribēdorū actuū ap̄torū potestas ī ministerio datur
ut deo ī deū pleno: & filio pditiōis extincto oratione
ab apl̄is facta: sorte dñice electiōis numer⁹ cōpleret̄.
Sicq̄ paul⁹ cōsumationē apl̄icis actib⁹ daret q̄diu cō-
tra stimulū calcitrātē dñs elegisset. Quod legētib⁹
& req̄rētib⁹ deū breui poti⁹ uolui ostēdere sermone:

q̄ plixius' aliqd fastidiētibus pdidisse: sciēs q̄ operā
tē agricolā oporteat primū de suis fructibus edere.
Quē ita diuina subsecuta ē grā: ut nō solū corporib⁹
sed etiā animabus eius pficeret medicina.

Incipit plogus in septē epistolā canonicas.

On ita ē ordo apud grecos q̄ integre sapiūt
n fidēq; rectā sectant: eplārū septē q̄ canonicē
nūcupant: sicut in latinis codicib⁹ inuenit:
ut q̄a petrus est primus in ordine ap̄lorū: prime sint
etiā eius eplē ī ordine ceterarū. Sed sicut euāgelistas
dudū ad ueritatis lineā correximus: ita has pprio or
dini deo iuuāte reddidimus. Est enī prima earū una
iacobi: due petri: tres ioānis: & iude una. Que si sicut
ab eis digeste sūt: ita quoq; ab īterptib⁹ fideliter ī la
tinū uerterent̄ eloquiū: nec ambiguitatē legētib⁹ fa
cerēt: nec fimonū sese uarietas īpugnaret illo p̄cipue
loco: ubi de ueritate trinitatis ī prima ioānis eplā po
sitū egim⁹: in q̄ etiā ab ī fidelib⁹ trāslatorib⁹ multū
erratū eē a fidei ueritate cōperim⁹: trium tātūmodo
uocabula: hoc ē aq̄ sanguinis & spūs ī ip̄a sua editiōe
ponētib⁹: & p̄ris uerbiq; ac spūs testimoniū omittē
tib⁹. In quo maxime & fides catholicā roborat: & pa
tris & filij & spūs scī una diuinitatis substantia com
probat. In ceteris uero eplīs quantū ad n̄ra aliorū di
stet editio: lectoris prudentie derelinquo. Sed tu uir
go xp̄i eustochiū dū a me īpensius scripture ueritatē
inquiris: meam quodāmodo senectutem inuidiorū

dentibus corrodenđā exponis qui me falsariū corru-
ptorēq; sanctarū pñūciāt scripturarū. Sed ego in ta-
li opere nec emulorū meorū inuidentiam ptimesco:
nec sancte scriptūre ueritatē pscētibus denegabo.

Prologus in apocalypsim.

i Oannes apłs & euangelista a xpo elect⁹ atq;
dilectus: i tāto amore dilectiōis uberior ha-
bit⁹ ē: ut i cena supra pect⁹ ei⁹ recūberet: &
ad crucē astātī: soli matrē ppriā cōmendasset: ut quē
nubere uolētē ad amplexū uirginitatis ascuerat: ipi
etiā custodiēdā uirginē tradidisset. hic itaq; ppf uer-
bū dei & testimoniū iesu xpi i pathmos isulā sortiret^r
exiliū: illic ab eodē apocalypsis pōstensa describit^r: ut
sicut i principio canonis idest libri genēseos. icorru-
ptibile principiū pnotat: ita etiā icorruptibilis finis
p uirginē i apocalypsi redderet dicentis. Ego sum al-
pha & o. initiū & finis. Hic ē iohannes q sciens supue-
nisse sibi diē egressiōis de corpe cōuocatis in epheso
discipulis descēdit i defossū sepulture sue locū: orati-
oneq; cōpleta reddidit spiritum tam a dolore mortis
fact⁹ extraneus: q̄ a corruptiōe carnis nescit alienus.
Cui⁹ tñ scripture dispositio uel libri ordinatio: ideo
a nobis p singula nō exponit^r: ut nesciētib⁹ inq̄rendi
desideriū collocet^r: & querētib⁹ laboris fruct⁹ & deo
magisterij doctrina seruet^r. Deo gratias.

Impressum Salmantice Anno
dñi. M, cccc, xcvj.

LNC
1531

